6

DISPUTATIO JURIDICA,

De

PRÆSCRIPTIONIBUS MORATORIIS,

vulgò

Quinquenellen oder Anstandsbriefen/

Quam

CHRISTO duce & auspice CHRISTO

Consensu atq; auctoritate

Amplissimi in illustri ad ALBIM ATHENÆO JCtorum ORDINIS;



SUB PRÆSIDIO

Viri Magnifici, Consultissimi, Excellentissimi

DN. LUCÆ BECKMANNI JCti

& Antecessoris clarissimi, Serenissimi ac Potentissimi ELECTORIS SAXON. aliorumque Principum Consiliarii intimi, Regii per inferiorem Lusatiam, ut & Ecclesiastici nec non Provincialis Judicii Witteberg. Adsessoris dignissimi &c.

Dn. Præceptoris, Favitoris ac Promotoris æviternùm colendi,

Publicæ ventilationi submittit

NICOLAUS Schaffshausen/

Livonus.

Ad diem 27. Septemb.

In Acroaterio Juridico, horis â 7. matutinis.



Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.

ANTELOQUIUM.



Erissimo & Prudentissimo C. Laurentii Medicis Principis laudatissimi effato, quo scitè mercaturam caput esse dixit, unde robur & nervi manent in Rempub. referente Michaele Bruto lib. 8. Florent. histor. *suo quasi chirographo eruditè subscribit summæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos. Plato* lib. 2. de Repub. *civitatem sine commerciis hautquaquam subsistere posse adfirmans: cujus verba ad amussim recenset Callistratus JCtus* in l.2.D.de Nund. *Eaq; suo diplomate obsignat Philosophorum Imperator* lib. 1. πολιτ. cap. 6. *ubi de mercaturæ, tùm necessitate, tùm utilitate, tùm dignitate, eleganter ac nervosè disquirit. Horum sub vexillis militantes P. Gregor. Tholoz.* lib. 4. de Repub. c. 7. n. 1. *& Lipsius* lib. 2. civil. doctr. c. 1. *duobus societatem constare civilem opinantur, commercio & imperio, omniumq; judicio præclarè ac rectè. Hoc enim fulcrum esse rerum humanarum & vinculum quo Reipub. membra cohærent, nemini vitæ hujus scenam contemplanti potest esse ambiguum: ruunt quippè omnia, ubi non hoc firmamentum, diffluunt ubi non hoc coagulum. Illud seminarium Reipub. amplificandæ & subsidium sustentandæ, ne rerum quas vel necessitas flagitat vel usus postulat, indigentiâ, cui provida rerum genetrix recompen-*

sandæ negotiationes substituit l. 1. D. de contrah. empt. *civitatis vires langueant aut labantur; ac velut ærarium esse unde in commodum publicum cottidiè auri pondera transferuntur, experientia luculenter exhibet: Imò tutissimum, quum bellorum tempestates & fulmina ingruunt, præsidium. Martis siquidem anima & motus pecunia est. Ut enim sine nervis Medici ambulare hominem: ita sine re nummaria Politici posse progredi bellum bellè negant. Nummorum verò mater mercatura: quam nutrit & unicè fovet conservatq; optimum illud injuriarum, & commodissimum retinendæ concordiæ remedium, contractuum fides, ceu perpulcrè asserit Servilius* apud Halycarnass. lib. 6. *quâ deficiente omnia omninò infici necesse est, quæ ex illa effectum sumunt. Hinc nulla rerum creditarum solutio, ubi nulla fides teste Tullio* lib. 2. offic. *nullus pecuniæ mutuatitiæ usus, quam inopiæ temporariæ levamen Lat. Cæcilius aptè appellat apud Gell.* lib. 20. c. 1. *nulla deniq; humana societas, quæ cum fide penitus tollitur, comprobante id suo suffragio App. Claud. apud Liv.* lib. 6. in fin.

Quapropter perfidiam inter crimina sontica temporibus priscis relatam, & eorum, qui ære alieno obruti solvendo non exsisterent, cōditionem fuisse deterrimam, tàm sacrarum quàm profanarum literarum exempla magno numero evincunt. In Repub. populi Israelitici DEUS *ipse jussit obæratos sese vendere, quò luerent debita sua, fidemq; liberarent. Levit.* c. 25. vers. 39. *Deuteron.* c. 15. vers. 12. *Atq; eò respexisse paterf. videtur apud Matthæum* c. 18. vers. 15. *vade inquiens, & omnia quæ habes vende. Moribus etiam invaluerat, ut non debitor tantùm, sed & liberi ejus servirent creditori, ut patet* ex lib. 4. Reg. c. 4. vers. 1. *Esdræ* lib. 2. c. 5. v. 5.

aut

aut debitor ipse abriperetur in carceres Matth. c. 5. v. 25. *Apud Græcos antequam Solon* σεισάχθειαν *invexit, plurimos per extremam inopiam fæneratoribus exponere corpora sua solitos, & super his fænerari, perhibet Laertius* in vit. Solon. lib. 1. *Romanis nullo non tempore etiam ante ll. 12. tabul. jus fuisse debitores addicere servitiis suis, aut compedibus primùm quidem domesticis, dein publicis nectere, commemorat Gell.* lib. 10. c. 1. *cui non absimile Jus est Saxonicum, quò facultas creditori datur alligandi servitiis debitorem, usq; dum de credito sibi per operas satisfiat,* Landtrecht lib. 3. artic. 39. *Lobel.* 2. differ. 30. *Coler.* de process. execut. part. 1. c. 9. num. 28. *quod novissimè mitigavit Novella Elect. August.* part. 2. c. 22.

Et quamvis lege Papiriâ rogatum esset, ut pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset; edocente Livio lib. 8. c. 28. *Posteavè Impp. Dioclet. & Maximin. constitutione prohibitum ne ob æs alienum homo liber serviret* l. 12. C. de oblig. & act. *atq; eorundem sanctione cautum, ne corpus liberum, quod nullam recipit æstimationem* l. fin. D. de his qui effud. vel dejec. *pro pecunia oppignoraretur* l. 6. C. Qui res pign. dar. poss. *Tamen ad pristinum rigorem in nervo tenendi debitores reditum sæpius, veterum luculentè testantur annales. Donec novâ humanitatis ratione sapientissimi Impp. debitoribus æris alieni onere gravatis adversus ignominiosum carceris squalorem istud beneficii indulsère, ut si bonis sint cedere parati, vinculis mancipari nequeant.* l. 1. C. Qui bon. ced. poss.

Verum, cum bonorum cessioni infamia olim annexa fuerit, testante Tullio in Quinct. quam in servos cum libertatis datione heredes institutos derivare Domini

 sole-

solebant §. 1. & 2. Inst. Qui & ex quib. caus. man. *Nec hodie unquam sine ignominiæ nota aut opprobrio fiat* Novell. 135. c. 1. *debitoresvè facultatibus cunctis exutos ad quotidiani victus inopiam adigat; unde flebile dicitur adjutorium* in l. 7. *&* *miserabile auxilium* in l. 8. fin. C. Qui bon. ced. poss. *cæpit illa paulatim legumlatorum animis ad benigniorem inclinantibus sententiam, ab usu recedere. Durum enim quodammodo & inhumanum videbatur ob æs alienum cui solertissimi quiq; patresf. adversæ nonnunquam fortunæ fluctibus implicantur, paupertatis jugo ad mortem usq; premi.*

Conceduntur itaq; debitoribus & potissimùm iis qui præter opinionem omnem ac culpam vimq; majorem bonis eversi, quinquennales induciæ sive dilationes, quarum beneficio debiti alieni sarcinam excutere commodius possint, partim à principe l. 2. & 4. C. de prec. Imp. offer. *quibus novissimè textibus accedunt constit. Imperii politicæ, nimirum,* die Reformation guter Policey zu Augspurg de Anno 1548. auffgericht, sub tit. von verdorbenen Kauffleuten §. vnd nach dem sie zu Zeiten: Item die Policey Ordnung zu Franckfurt Anno 1577. gebessert tit. 23. von verdorbenen Kauffleuten §. wann auch solche ꝛc. *partim à creditoribus* l. fin. C. qui bon. ced. poss. *Ubi Bartol. Castrens. Jason, aliiq; complures hanc induciarum materiem latè enucleant. Diss. Cujac.* lib. 2. observ. 10. *qui* d. l. 2. *manum admovens alium planè ipsi sensum adfingit cujus errorem amplectitur Anton. Faber* error. pragmat. decad. 25. err. 3. n. 7. *quem refellit Osbald. Hillig.* lib. 22. Donell. enucl. c. 9. lit. c. pag. 962.

Harum dilationum moratoriarum cognitio cum gliscente in dies obæratorum turbâ omnibus juri operam navan-

navantibus admodum sit necessaria, nec non usus earundem frequentissimus in hoc imminente rerum humanarum occasu, quò fides, validissimum cujusq́; testimonium, quam inde, ut fiat quod dictum est, venuste Tullius derivat lib. 2. offic. *& cui olim templum Romæ erectum meminit Halycarnass.* lib. 2.

Rara avis in terris nigroq; simillima cygno est: quoq; aurea temporum priscorum vox, inter bonos bene agier oportet, Cicer. lib. 3. offic. *fessa loquendo planè obmutuit: non abs re fore autumo si difficillimæ hujus & simul utilissimæ materiæ naturam ac indolem plenius monente JCto Paulo in* l. 25. D. de liberat. legat *pensitemus, quippè ad quotidiana potius & ea quæ usum in vita communi frequentem habent, quam quæ perrarò eveniunt, animus applicandus, ut inquit Celsus in* l. 5. D. de legib.

At vero quum absonum planè sit & indecorum determinare prius velle quàm terminos intelligere, Angel. consl. 120. *Francisc. Mantic.* de conject. ultim. volunt. lib. 1. tit. 1. *atq; periculosum ne decipiculis & fallaciis ex verbi significatione variâ latebræ quærantur. Nam licet pulcerrimè ea, quæ à nobis dicuntur intelligi possint, innumerabilia tamen sunt per quæ cavillantur, ut elegantissimus Seneca eleganter loquitur* lib. 7. de benef. c. 4. in fin. *vel ut sacratissimus Imperator non minus pulcrè ait, nihil sic indubitatum est, ut non possit, quamvis valdè sit justissimum, sollicitam quandam suscipere dubitationem* Novell. 44. c. 1. *Quocirca vocum ambiguarum in suas significationes distributionem, antequam ad ipsam progrediar definitionem, faciendam, mihi quoq; faciendum arbitror.*

ASSER-

MORATORIA nuncupatur à remorando, remoratur enim creditoris exactionem, sive ejus petitioni moram producit. Verbi siquidem morari hæc genuina acceptio est, ut cunctari, prolongare, differre denotet, *l.91.§.1.D.de verb. oblig. l.5.§.1.D.ut legat. seu fideicommiss. l.6 D. de usu & usuf. leg. l.5.§.2. D. de cens. l.7.§.1.l.85.§.fin. de R. J.* Quam non uno in loco Poëtarum Aquila annotavit:

Quid struit aut quâ spe inimica in gente moratur. *Æneid. 4.*
Jam jam fata soror superant, absiste morari. *Æneid. 12.*

Aliàs susque deque in latissimo D & C volumine pro habitare accipitur *l.13.§.1.D.de aliment. legat. l.2.§.4. D. de his qui notant. infam. l.3. D.de Senator. l.2. D. de serv. exportand. §.1. Inst. de usu & habit. l.2.C. de Incol. l.penult. C. de legat.*

II.

Præscriptio à præscribendo in *d.l.2.* exceptio appellatur; sæpissimè enim præscriptionis vocabulum pro exceptione in jure usurpari abundè clarescit ex rubric. D & C *de except. & præscript.* unde quæ exceptiones usitatè, eæ alibi præscriptiones vocitantur; ita exceptio rei judicatæ *t.t. D. de except. rei judic.* dicitur rei judicatæ præscriptio *l.29.D.d.tit.* & exceptio doli *t.t. D.de except. dol.* nominatur præscriptio doli in *l.91. in fin. D. de solut.* similia desumi possunt exempla ex *l.11. & 23. D. & l.12. & fin. C. de except.*

III.

Discussis vocum notationibus hautquaquam sicco istud pede prætereundum, moratorias præscriptiones non uno eodemque nomine sed vario & multiplici tum à Nomothetis ipsis tum ab Interpretibus passim indigitari (1) rescripta moratoria, sive dilatoria in *d.l.4.C.de prec. Imper.off.* dicuntur (2) quinquennales induciæ, dilationes, sive literæ induciales *d. l. fin. C. qui bon. ced. poss.* (3) literæ annales, quinquennales vulgò quinquenell. Reichsabscheid zu Augspurg *Anno 1548. tit.* von verdorbenen Kauffleuten. *d.* §. vnd nach dem sie zu Zeiten *& Anno 1577. tit. 23.* von verdorbenen Kauffleuten *d.* §. wann auch solche rc. And. Gail.

Gall. *lib.2.obser.46.n.14.* (4) literæ gratiæ Johan. Baptist. Asin. *in tract. de execut.* § *6.c.69. & seq.* Socin. *consil. 13. col. 3. vol.1.* (5) literæ salvi conductus Jacob. Menoch. de arbitr. judic. quæst. *cas. 203. n.13. & seqq.* Alexand. Trentacinq. *lib. 3. var. resol.1. n.4. & passim.* (6) literæ respirationis Rebuff. *tract. de liter. dilator. n. 1.* Anton. Faber *err. pragmat. d. decad. 25. err.3.* (7) literæ securitatis Joh. Petr. Surd. *decision.301. & 307.* Exceptio mercatoria Schneidew. *ad* §. *1. Inst. de I. N. G. & C. n. 11. in fin.* alludens fortè ad id, quod Impp. mercatoribus fortunâ lapsis istud indulgere privilegii ad defendendum se, soleant. (9) Græci ἀπλῶς hoc quinquennii institium ὑπερημερίαν nominant, quod tamen de dierum aliquot rectius intelligi potest institio. Ant. Hering. *de fidejuss. c.5.n.145.* (10) Franci Treugas, ob fidem interpositam quasi confidentias, Trithem. *anal. Franc. lib. 1.* (11) Saxones Eisern werden Chilian. König *in processs. c. 2. n. 33.* Nos nostrâ vernaculâ communiter ein Anstandt/ Anstandtbrieff auff gewisse Zeiten nuncupamus.

IV.

Etymologiam rectè sequitur definitio. Nam ut illa verbi notationem declarat, ita hæc rei essentiam explicat. Definitur autem Moratoria præscriptio non inconcinnè *exceptio* debitori prolongatione solvendi ad tempus aliquod à Principe impetrata competens. *d.l.2.C.h.t.ibi: præscriptio id est*, exceptio. Estque exceptio dilatoria temporalis; ne vid. intra certum tempus agatur. *arg.* §.*10.Inst. de Except.* Carol. Molineus *de usur. quæst.82.n.624.*

V.

Et quamvis definitio altius paulò hîc perpendenda esset, quia tamen ejus explicatio à caussis, quas fontes omnis scientiæ cum Principe Philosopho Petr. Ramo *1. Log. 3.* non immeritò dixeris: quò pertinet illud vulgatum: scire rem, est per caussas cognoscere, Aristot. *1. poster. analyt. 2.* dependet, ne rerum interturbetur connexio, ad earum tractationem, quæ ad propositæ definitionis enodationem faciunt, reservabimus.

VI.

Definitioni illud protinus subnectendum arbitror quæsitum; An præscriptiones moratoriæ naturali æquitati, ac legi

divinæ charitatiq; Christianæ adversentur? Negantibus, si absit abusus, adstipulamur. Ratio I. Quia naturalis æquitas aliud nihil est, quàm judicium quoddam rationis, ac veluti lex de justis atque injustis à natura omnium hominum mentibus inscripta Duar. *in l.1. in pr. D. de pact.* cum qua congruere moratoria rescripta finis eorundem ostendit; ut scilicet concessâ temporis modici dilatione colligere sese debitores & resarcire damna, exactiusvè satisfacere creditoribus possint; imo nihil tàm æquitati conveniens est, quàm adflicto ulteriorem non addere adflictionem *l.14. D. de offic. Præsid. l.9. § fin. D. ad l. Pomp. de parricid. l. 28. C. de Episcop. audient.* maxima etenim pietas, quæ pro paupertate facit *l.74. §.1. D. ad SCtum Trebell.* II. Legi divinæ dilationes moratorias hautquaquam refragari satis superque evincunt clarissimi sacri codicis textus, Exod. *c.22. v.35.* Levitic. *25. v.35.* Deut. *22. v.29. &c.* III. Charitati Christianæ easdem neutiquam repugnare quis adeò distortæ naturæ, ut non animadvertat? Quid enim fingi aut dici potest quod magis humanitatis officio contrarietur, quàm debitores fatali quopiam casu, nullâ datâ operâ, vel naufragii vel incendii vel belli cladibus eò calamitatis fortuna novercante redactos ut die præfixo æra contracta solvere nequeant morosè nimis pertinaciterq; compellare, & cum sacco paratos adesse jubere ut loquitur JCtus Paulus *in l.105. in fin D. de solut.* Illis sanè qui rigidè adeo nummorum debitionem urgent in mentem illud præclarum Ulpiani monitum in *l.33. D. de usur.* non venit, ubi tradit debere creditorem non acerbum se exactorem nec contumeliosum præbere, sed moderatum & cum efficacia benignum & cum instantia humanum; nec norunt isti truces morosique compellatores quam duram adversus se legem constituant, quamque infidâ se fiduciâ extollant: rerum siquidem humanarum circulus quidam est, qui non semper eundem esse felicem sinit: iisdem enim involvi possunt procellis & everti. Unde non abs re; optimam insolentiæ vindicem humanæ conditionis varietatem dixit Valer. Maxim. *lib.4. c.7. in fin.*

VII.

Non decerpit quidquam decisioni nostræ, quod moratoria rescripta auferant creditori jus suum, cum minus solvat,

qui

qui debiti solutionem suspendit *l.32.D.de U.S.§.33.vers.plus a.Inst. de act.* Etenim non auferunt, sed ad exiguum duntaxat temporis spatium differunt. *d. l. 2. C. de prec. Imp. off.* unde nominantur exceptiones solutionis evitandæ seu differendæ, Jacob. Menoch *lib.2.de arbit. judic. quæst. cent. 3. cas. 140. n. 6.* Johan. Zanger. *de except. part. 2. c.12.n.1.* in mora verò modici temporis non vertitur magnum præjudicium *l.21.D.de judic. l.24.§.4.D. locat. l.21.§. fin. D. de recept. qui arb.* Estq; ut aliàs verum, ita hic tritum istud sermone diverbium, quod differtur non aufertur, *arg.l.39.D.de jud. l. 6. C. de fideicom. libert.* Reliqua argumenta quæ hanc nostram sententiam debilitare videntur breviusculè refutat Anton. Thessaur. *decis. Pedemont. 186. n. 2. & 3.* ubi subdit Senatum ita censuisse; quem refert ac tuetur Nicol. de Passerib. *in tr. de script. privat. lib. 3. q.5.* Quibus subscribit & Bronch. *contr. miscell. cent. 1. assert. 3.*

IIX.

Suntque hæc adeò vera, ut ignorantibus quoque & invitis creditoribus, moratorias hasce literas dari posse debitori non inficiemur, ceu manifestè decidit Franciſc. Vivius *decis. Neapol.38.n.2.* ubi se assedente non semel ita pronunciatum in Regia Audientia Terræ Barri testatur, quem citat & sequitur Nicol. de Passer. *d. tract. de scrip. privat. q.5.lib.3.n.42.& seqq.* Præsertim cum ex causa (quam in proposito non deficere constat) Principi jus subditorum auferre liceat, *l.15.§.1.D de rei vindic.l.11. D.de evict. l.2.§.16.D. Ne quid in loc. pub.* & à juris recedere regulis; velut latè tradit Jason *in l. 24. D. de off. prætor.* & patet *ex l. 30. D. mand. l.4.§.fin. D.de re milit.* Pinell. *part. 1. rubr. c.2.n.6. C.de rescind. vend.* Francisc. Zoanett. *de dupl. venat. n. 44.* Vasquinus *controv. illustr. lib.4. c.1.* Gail. *lib. 2. obser. 56. n. 1.* Mynsing. *cent. 5. obser. 97. n. 4.&c.* qui omnes hoc, cum aliis infinitis, quidquid est peccati condonant calamitati & utilitati, quarum maxima nunquam non habenda ratio. *l. 2. C. de primipil. c. Imperialem in pr. de proh. feud. alienat. per Lothar.*

IX.

Tradita definitione proximum nunc est rudiori penicillo causas delineare. Causam vero efficientem moratoriorum re-

scriptorum quod attinet, proxima est, commiseratio Reichsabscheid *d. anno 1548. & 1577. tit.* Von verdorbenen Kauffleuten / *ibi.* auß unversehenen zugestanden Unfällen: remota, princeps sive Imperator, unde non insulsè reservatis accensentur, ceu liquidò constat *ex d.l.2. ibi: rescripto nostro: & d. l. 4. C. de prec. Imp. offer. d. l. fin. ibi: cum solito more à nostra Majestate petitur. C. qui bon.ced. poß.l.45.§.10.in fin.D.de jur.fisci.* Policey Ordnung zu Franckfurt *de anno 1577.* §. Wann auch solche / *in verbis*: So meinen wir hiemit ernstlichen / vnd wollen / daß jhnen solche moratoria oder quinquenel hinfüro nicht mehr gegeben werden sollen / Wir oder vnsere Nachkömling Römischer Keyser oder König &c. Ubi simul & Romanorum Regi facultatem literas dilatorias promulgandi reservat: item verbis magis perspicuis in der Reformation guter Policey *de anno 1548.* Von verdorbenen Kauffleuten §. vnd nach dem sie zu Zeiten bey den Römischen Keysern vnd Königen / moratoria oder Quinquenell außbringen vnd erlangen *ꝛc.* And. Gail. *lib.2.observ.46. n.14.* Ludov. Gilhausen *arbor. jud. part. 1.c.1.§.1.n.66.* Lancelot. *in templ. omn. judic. lib.1.c.1. §. 4. vers.* debitoribus dilationes indulget. Tessaur. *d. decis. pedem. 186. n. 8. in fin.* Zöbel. *part. 2. diff. jur.civ. & Saxon. diff. 30.n.2.& 4.* Anton. Faber. *in Cod. lib.1. tit. 9. def. 17. in princip. ibi: non nisi à supremo principe concedi possunt qui superiorem non agnoscat, aut saltem imperii jura habeat.*

X.

Nulla proin & injusta atque contra legem dilatio est, quæ ab inferiori indulgetur magistratu, Francisc. Vivius *d.decis.Neapol.38.n.7.* Diss. Cüch. *tract. de morat. præscript. n. 36. per d. l. 45. §. 10. D. de jur. fisci.* ubi ait, judices haut posse debitoribus fiscalibus dilationem petentibus non plus quàm duos aut tres prorogare menses. E. aliis privatorum debitoribus poterunt prolixiora induciarum spatia permittere. Verum fit hîc ἐπεξήγησις *d. n. l. 45. §. 10.* non loquitur de debitore præscriptionem moratoriam prætendente, & solvere non valente, sed de eo qui solvere paratus, certam solùm solutionis diem & paucissimi temporis moram concedi sibi postulat *arg. l.21.D.de judic. l. 2. C. de usur. rei judic.* Diss. aliter Trentacinq. *lib. 3. var. resol. de solut. resol. 1. num. 4.* & alii ab eo ibidem allegati, inter dilationem gratiæ

quæ

quæ à debitoribus & justitiæ quæ à majori creditorum parte petitur distinguentes: ita ut in priori superior, in posteriori inferior etiam concedere inducias magistratus queat. At vero cum utroque casu sive creditores sive debitores induciarum spatia implorent, superior auctoritatem suam interponere magistratus debeat *d. l. fin. C. qui bon. ced. poß.* idcirco isthæc distinctio nullatenus toleranda, And. Knich. *de Saxon. non provoc. jur. verb. Ducum Saxoniæ cap. 5. n. 457. & seqq.* cui adstipulatur Osbald. Hillig. *Donell. Enucl. lib. 22. c. 9. L. G.*

XI.

Moribus tamen hæc hodiernis usque adeò rigidè & strictè non observantur, ceu testatum faciunt Reichsabschiede *de Anno 1577. d. tit.* Von verdorbenen Kauffleuten; *ibi*, Sich in andere Herrschafften begeben / vnd von denselben / auffgenommen / vergleitet / geherberget / vnd vorgeschoben werden. Ex quo enim Germaniæ Principes jura in territoriis sua imperialia exercere cœperunt; exinde hac etiam superioritatis eminentiâ & jure in iisdem de diuturna consuetudine utuntur. Petr. Heig. *part. 1. quæst. jur. civil. & Sax. q. 2.* Otto Meland. *in comment. camer. part. 1. tit. 102.* Andr. Knichen. *d. loc. n. 456.* Matth. Stephan. *in tract. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 7. n. 369.* Theod. Reinkingk *lib. 1. de regim. secul. & Eccles. claß. 5. c. 6. n. 31.* Num verò eo ipso debitores tueri se queant adversus creditores alterius principis jurisdictioni subjectos scrupulo hautquaquam caret? Negativa juris rationi magis consona videtur: quippè principum jurisdictio limitata est, nec extenditur ultra territorii limites, multò minus ad non subditos *arg. L. ult. D. de jurisd. omnium judic.* Roland. à Valle *consil. 80. n. 30. & 31. volum. 4.* Mynsing. *resp. 19. n. 5. dec. 2.* Vult. *ad l. 1. C. de jurisd. omn. jud. n. 19.* Osbald. Hillig. *lib. 22. Donell. Enucl. c. 9. L. G.*

XII.

Ista hic loci elegans admodum & subdubia nobis obviam procedit quæstio: An potestas concedendi inducias quinquennales interregni tempore ad vicarios jure porrigatur. Ajentium castra sat prægnantibus instructi rationibus sequimur. (1) Quia gratiosa, quæ neq; in Imperii detrimentum vergunt, neque alienationem continent, vicariis interdicta haut

 sunt,

sunt, edocente Aurea Bulla *c.5. in verbis*; Ein Verweser vnd Pfleger deß Reichs seyn; *item in verbis*; Alle verensserung vnd verpfändung der Güter / so zum Reich gehören: quæ vide in Latina translatione clarius aptiusvè expressa. (2) Quia reservatio sive exceptio, außgenommen der Fürsten Fahnlehen / dann derselben Lehnvergleichnuß behalten wir einem Römischen Keyser oder König / *d. tit. 5.* arguit in reliquis omnibus vicariorum potestatem eandem esse, quæ sit Imperatoris extra casus scilicet exceptos & expressè reservatos. Exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis *arg. l. 102. ubi* Dd. *D. de legat. 3. l. 1. de* R. I. *& ibi* Decius *n. 21. l. 12. §. 43. ibiq.* Bartol. *de instr. & instr. legat.* Everhard. *in topic. in loc. ab except. ad regul. in princip.* Et prohibitio unius sive exclusio est alterius inclusio: *l. 22. D. de ll. l. 12. D. de judic. l. 21. C. de procurat.* Affirmatumque de uno, de reliquis negatum intelligitur *c. nonne 5. extr. de præsumpt.*

XIII.

Causa προκαταρκτικὴ sive impulsiva, quæ allectare principem & inducere ad hoc debet, debitoris alieni æris onere implicati justa instantia est & supplicatio; Invito siquidem & nolenti beneficium non datur *l. 19. §. 2. D. de donat. l. ult. D. de usu & habit. l. 69. l. 156. de* R. I. Juraque vigilantibus non dormientibus subveniunt *l. penult. in fin. D. quæ in fraud. cred. l. 16. D. Ex quib. caus. major. in integ. l. 21. D. de pecul.* Atque inde evenit, quod dilationes moratoriæ à Principe utplurimum ad preces partis indultæ præsumantur *l. 15. C. de transact.* (non enim rescribitur nisi quid ad Principem scriptum sit, cui quod nomen indicat rescribatur: nec aliter rescribi solet, quam sit petitum *l. 1. C. de precib. Imp. off. d. l. 15. C. de transact. l. 1. C. de divers. rescript. Wesenbec. in Paratit. C. de precib. Imp. offer. n. 2.*) & non motu proprio; nisi expressè istud rescripto insertum sit. Carol. de Grass. *de except. c. 32. n. 46.* Theod. Reinkingk *de regim. secul. & Eccles. lib. 2. class. 2. c. 8. n. 13.* Ea namque clausulæ motus proprii vis est & natura, ut in dubio, nisi probetur, nunquam præsumatur. D. Marta *in tract. clausul. c. 73. n. 1. p. 1.* Petr. Anton. de Petra *de jure quæsito per princip. non tollend. c. 32. n. 32. & seqq.* Tib. Decian. *resp. 41. num. 7. vol. 2.*

XIV. Dis-

XIV.

Discussis crassâ Minervâ causis, subjectum nunc ipsum sive personæ, quibus rescripta moratoria justè conceduntur, perpendendæ erunt. Impetrare verò illa potest, non privatus duntaxat quilibet debitor, sed & Syndicus universitatis nomine, si in tantas angustias publicæ res actæ fuerint, ut sine suppetiis eluctari nequeant, per *d.l.2.& 4.C.de precib.Imp offer.* item *l.fin.C. qui bon. ced. poss.* nec non constitut. Imper. de *Anno 1548. tit.* Von verdorbenen Kauffleuten / qui textus omnes generaliter ac indistinctè de quovis in egestatem delapso debitore loquuntur, generaliter itaque & indistinctè exaudiendi *l. fin.C.de his qui ven. ætat. impetr. l.3.§.3. D. ubi* Bartol. *de negot. gest. l. 3. C. de liber.præterit. c. quamvis 7. quæst. 7.* Wesenbec. *part.6. consf. 270.n.23.* Vultejus *consf. Marpurg. 17. n.89. vol.1.* Mynsing. *dec. 14. responsf.6.n.8.* Nec potest ulla afferri diversitatis ratio; quin potius nefas judicetur, beneficia quæ in privatum conferuntur, universitati tanquam multorum corpori velle denegare; atque ita melioris esse conditionis privatum, quàm universitatem ipsam velut in simili effatur JCtus *in l.4.D.quod vi aut clam.* Matth de Afflict. *decis 377. in princip.* Rebuff. *tract. de liter. dilat. art. 1. gloss. 1. n. 13.* Ant. Faber *d. tit.9.C. definit.18.*

XV.

Haudquaquam tamen omnibus indistinctè debitoribus inopiâ laborantibus literæ induciales dantur; sed solùm iis, qui sinistræ fortunæ procellis obruti, creditorumque mole oppressi extremâ pauperie urgentur; ut puta, qui omni suâ culpâ longè remotâ, vel incendio, vel naufragio, vel furto vel rapinis, vel deniq; aliis infortunii casibus in hanc calamitatis voraginem deturbati fuerint, quos Imp. Justin. infelices appellat debitores in *Novell. 4. c. 3.* & calamitosos in *Novell. 135.* Estque textus insuper perspicuus in Novell. *Elect. Augusti part. 2. const.21.* §. Wir behalten uns aber daneben sonderlich für :c Unde eodem de jure Saxon debitor hujusmodi miserabilis qui in universum ex accidenti non supinâ suâ negligentiâ res amisit, in carcerem publicum vulgò Schuldthurm non compingitur. Daniel. Moller. *ad d. constit. n. 8.* P. Heig. *part.1. quæst. 35. n. 47.* Joach. Beust. *ad l. admonendi 31. D.de jurejurand. n. 343.*

XVI. At

XVI.

At verò nec istud sufficit, sed vel præterea apertissimis tenentur probationibus fortuitum casum & merum infortunium revelare, Rebuff. *de liter. dilat. art. 1. gloss. 1. n. 2. 4. & 7.* Ant. Faber *d. tit. 9. def. 20. n. 20.* Explorati etenim juris est, eum qui in qualitate quapiam se fundat qualitatem illam probare omninò debere *l. 9. ibiq.* Dd. *C. de his qui accus. poss.* P. Surd. *cons. 24. n. 8.* Prückman. *consil. 8. n. 189. & seqq.* Cothman. *respons. 54. n. 12. vol. 2.* Eberh. Speckhan *cent. 1. quæst. juris quæst. 38. n. 1.* Et quidem illud post debitum contractum evenisse, Ant. Faber *d. tit. 9. def. fin. 1. 6. & 16.* Rebuff. *d. gloss. 1. n. 64. & seq.* Menoch. *de arbitr. judic. quæst. cas. 203. n. 24.* Trentacinq. *lib. 3. d. resol. 1. n. 17. & 18.* Quia aliàs in manifestam creditorum fraudem à debitore se non solvendo sciente, & tamen contrahente, hoc videretur beneficii impetrari, sicque delinquendi via aperiretur, quæ tamen etiam atque etiam præcludenda *§. 1. Inst. v. bon. rapt. l. 2. in fin. C. de indict. vid. toll.* ne injuria inde, unde jura proficisci debent, nascatur *l. 6. C. unde vi, c. 17. extr. de accusat.*

XVII.

Hinc consectarium est decoctores, fallitos, bancoruptos, quos Græci ἀσώτȣς, ἀκολάςȣς, nos vernaculâ nostra Bancorottirer vocitamus, welche das jhrige verspielen / verschlemmen / vnd sonsten mit prächtigen Kleidern vnnützlich verbringen; cum illi non fortunæ injuriâ atque asperitate, sed suo sibi vitio hoc mali accersierint, & contra leges publicas deliquerint, tali privilegio minime frui debere, sed omni potius juris rigore excipi: neque enim is sentire damnum videtur, qui suâ culpâ sentit, *l. 203. de R. I.* Strach. *de decoct. part. 6. n. 20.* Pet. Gregor. *syntagmat. lib. 22. c. 7. n. 6.* Boërius *decis. 349. n. 10. circa fin.*

XVIII.

Quapropter etsi creditoribus in partes minutulas dissecandi & dilacerandi non sunt tradendi, cujus meminit pœnæ Agell. *noct. Atticar. lib. 10. c. 1.* Covaruv. *lib. 2. variar. resol. c. 1. n. 1.* aut in ergastulum pro operis præstandis trudendi. Pet. Heig. *d. quæst. 35. n. 27.* vel à servis Prætorianis secundum Muscovitarum statuta, de quibus scribit Alex. Guagnin. *in descript. Muscovit. c. 4.*

vit. c. 4. per suras & crura pedum, donec creditoribus satisfaciant, cedendi, aliisvè antiquioribus pœnis feverissimis coercendi, ad carceres tamen ablegandi sunt *const. Elect. 22. part. 2.* imò ut fures, qui collare à restione promerentur, puniendi, Reichsabschied *Anno 1548. tit.* Von verdorbenen Kauffleuten / princip. ibi: Dieweil solche betriegliche vnd schädliche Handelung / die sich einem Diebstal wol vergleichen / dem gemeinen Nutzen zum Nachtheil gereichen 2c. Novissimum exstat decretum civitatum Hanseaticarum Lubecæ typis excusum & Anno 1620. die ultimo Aprilis promulgatum; cujus inscriptio ita habet; Mandatum der Hauptstädt wider die muthwillige Falliter vnd Bancerotiter ibi: Vff solchen Fall soll nach vorhergehener declaration, nicht allein die Schandglock vber jhm geleutet / sondern Er auch mit offentlicher Aufstellung an den Pranger / ewiger Verweisung / auch nach vermerckten Vmbständen / als ein Dieb oder falsarius an Leib vnd Leben gestrafft werden.

XIX.

Aliter tamen arbitramur rem decidendam si creditores vel eorum pars major, ultrò iis, qui datâ operâ rationes conturbarunt, moras permittere velint. Ratio (1) Quia creditoribus vel majori creditorum numero conspiranti, hoc casu nulla fit injuria; nulla quippè est injuria, quæ volenti infertur *l. 1. §. 5. D. de injur. l. 8. D. de aq. pluv. arcend. l. 34. C. de transact. c. scienti 27. de R. I. in 6.* (2) Quia de jure suo creditores remittere, & cuicunque decoctori donare etiam debiti portionem possunt. E. multò magis dilationem concedere *arg. c. cui licet quod plus est 53. de R. I. in 6.* Benev. Strach. *de decoct. part. 6. n. 20.* Matthias Stephan. *de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. memb. 2. n. 249. & seqq.*

XX.

Cæterum nec ille induciarum privilegio gaudere debet, qui in obligationis instrumento expressè iis renunciaverit; quod enim semel repudiatum, redintegrari neutiquam permittitur *d. l. 34. C. de transact. l. 7. in fin. C. de condit. insert.* Anton. Faber *d. tit. 9. defin. 20. n. 14.* Nisi in rescripto & dispensatione hujus renunciationis manifesta facta sit mentio. Atque ita in praxi observari ex Caravita perhibet Trentacinq. *lib 3. var. resol. d. res.*

 1. n. 24.

1.n.24. Faber *d. defin. 20. n. 15.* Osbald. Hillig. *d. lib. 22. Donell. Enucl. c. 9. L. M.*

XXI.

Quin etiam nec is qui debitum inficiatus: quod propter mendacii odium ita videtur receptum. Præterquam enim quod lex mendacia severè & seriò prohibet, mendacesque extremè odio habet *l. 11. §. 3. D. de interrog. in jur. faciend. l. 43. §. 3. D. de furt. l. ult. C. de accus. l. penult. C. si contr. jus vel utilit. publ.* insuper etiam perspicui juris est, in fraudem inficiantibus, beneficium non competere *l. 10. §. 1. D. de fidejuß.* Et frustrà legis implorare auxilium, qui temerè in legem committunt *l. 8. §. 14. D. de inoff. test. l. 5. §. fin. & l. ult. D. quæ ut indig. auf. l. 37. D. de minor.* Neminemvè ex eo habere fructum debere, quod nisus est impugnare. *c. ex eo 37. c. frustra 75. d. R. I. in 6.* Ant. Tessaur. *decis. 187. n. 7. vers. quintò declara, & decis. 50. per tot.* Coler. *de proceß. executiv. p. 1. c. 10. n. 397.* Mynsing. *cent. 2. observ. 15. n. 8.* Diss. Cardin. Paris. *in consil. 100. col. 3.*

XXII.

Quod tamen cum salis grano acceptum volumus; si nimirum dolosè facta sit & fraudulenter hæc inficiatio per *d. l. 10. §. 1. D. de fidejuß.* pœna etenim negantis locum haut obtinet, nisi propter dolum & fraudem *c. 1. tit. si de feud. defunct. content. int. domin. & agnat. &c.* gloss. *in l. ult. C. de rei vind.* Secus, si animo titubante & ancipiti, fluxâque mente oblivionem allegarit; Als were jhm die Schuld vergessen / vnd auß der Acht kommen: beneficio hoc privari illum nullatenus posse censemus *arg. l. ult. C. de cond. indeb.* Isthoc quippè casu dubitans pro ignorante reputatur *l. 1. in pr. de legat. 3. ubi* Bartol. *& l. 22. §. 2. C. de furtis.* Ignorantia autem à pœna negationis excusat. Bald. *in l. 4. C. de cond. indeb.* Hering. *de fidejuß. c. 27. n. 219.* Wesenb. *in comment. ad d. tit. C. de condict. indeb.*

XXIII.

Uti etiam nec iste, qui judicio convictus. Vim namque sententiæ & judicati executionem neutiquam remorantur *l. ult. C. ut lit. pend.* ubi generaliter Imp. Constantinus loquitur ut ille, qui adversus se latæ sententiæ habet auctoritatem perpe-

tuò

tuò ſilere debeat; imò impudens judicandus, ſi auxilium adhuc per ſupplicationem petere attentaverit. Caſtr. & Jaſon *ad d.l.n.7.c.ex lit.4. ubi Dd. extr. de integr. reſtit.* quum & alias ſupervacuum ſit, nulliusvè momenti, quidquid contra rem judicatam ſuſcipitur Bald. *in l. 25. C. Si contr. jus vel util. publ.* nec enim inſtaurari finita rerum judicatarum patitur auctoritas *l. 5. C. de re jud. l. 56. §. 1. D. ad SCtum Trebell.* ne aliter modus litium multiplicatus ſummam atque inexplicabilem faciat difficultatem *l.6.D.de except.rei judic.l. 2.C. de re judicat.* Niſi tamen condemnatio vel ſpontanea ſit Teſſaur. *d. deciſ. 186. n.7.* verſ. *Et hanc declarationem*, And. Knichen *de jur. Saxon. non provoc. verb. Ducum Saxoniæ c.5.n.462.* vel obligatio judicati novata: hoc enim caſu obligationis prioris qualitas non inſpicitur ſed ſolùm poſterioris *l.29.D.de novat.l.fin.C.de uſur.rei jud.* Ant. Faber *d.tit.9. defin. 4. & lib.2.tit.12.defin.16.*

XXIV.

Conſideravimus hucuſque perſonas quibus literæ induciales denegandæ; objectum modò ſive debita pro quibus concedi nec poſſint nec debeant ut diſpiciamus, legitimæ methodi ratio poſtulat. Nam in ſupplicationibus ſemper debiti qualitas exponenda, num ejuſmodi ſit, quod inducias vel non recipit, vel ſuper quo principem faciliter reſpirandi ſpatium tribuere non probabile eſt, ne ſubreptitium dicatur reſcriptum, & conſequenter ipſo ſit jure nullum *c. ſuper literis 20.junct. c. poſtulaſti 27. ext. de reſcript.* Trentacinq. *lib. 1. var. reſol.reſol.5.n.2. & d.lib. 3. reſ. 1. n.19. Receß. Imp. de Anno 1548.* Von verdorbenen Kauffleuten in verbis final. Wo aber die ander Geſtalt vnd mit verſchwiegener Warheit außbracht oder erlanget werden/ alsdann ſollen ſie krafftloß vnd vnverträglich ſeyn/ vnd dafür gehalten werden. Ibique Carolus V. Imp. non niſi duobus concurrentibus inducias implorari poſſe ſancivit (1) ut documentum paupertatis & adverſi caſus à magiſtratu ſub quo domicilium habet, ſupplicans adferat (2) ut evidentiſſimis argumentis comprobet, ſuâ ſe non culpâ ſed ſævis fortunæ telis undiq; impetitum, rerum fecisse jacturam. Valent. Francus *tract. de fidejuß. c.3.n.152.* Trentacinq. *var. reſolut. d. tit. de ſolut. reſol. 1. n. 11.*

XXV.

Aliam libelli supplicis formulam ad impetrandas hasce literas induciales exhibet vernaculo sermone conscriptam Otto Meland. *in comment. cameral. p. 1. tit. 102.* In quâ hæc præcipuè 4. notanda occurrunt. (1) Ut petens fatalem ac improvisum casum commemoret, Daß er vnversehener Weise in Abbruch vnd Schmälerung seiner Nahrung kommen / vnd sonderlich deß er von vielen andern / mit welchen er gehandelt / betrieglich auffgesetzt. (2) Quod speret, se certò ære alieno levatum iri, sua vid. vicissim debita exigendo, daß er an außstehenden Schulden / welche mit Handschrifften vnd seinem Register beweißlich / so viel habe / daß er wol gedencke seine Principales zu befridigen. (3) Quod ex tempore nullatenus solvere queat, nec aliam faciendæ solutionis rationem cognitam habeat: Es sey jhm vnmöglich / zu dem es zu gantz verderblichen vnwiderbringlichen Nachtheil vnd Schaden seiner gereichte / die Schulden schleunig abzulösen / damit aber den Creditoren wenig verholffen / ohngeschweigen die Hauptschuldt gäntzlich auffgehoben. (4) Quod de his nemini non constet; eoque nomine literis à Magistratu inducialibus instructus sit. Davon sey ein gemeine Leumuth / habe auch dessen ein glaubwürdigen Schein von seiner Obrigkeit / worunder er gesessen.

XXVI.

Sunt itaque dilationes moratoriæ non extendendæ ad debita. I. Ecclesiastica sive pii loci, quia Ecclesiæ perpetuò favendum, cum summa sit ratio quæ pro religione facit *l. 43. D. de religios. & sumpt. funer.* ejusque favor quam fisci major Oldendorp. *in tract. de jur. & æquit. c. 10.* ac cuivis commodo publico anteferendus Tiraquell. *de privil. piæ caus. privil. 148.* Menoch. *arbitr. Jud. quæst. lib. 2. cent. 3. cas. 203. n. 20.* Trentacinq. *d. resol. n. 16.* Adserunt posteriores hi dd. locis aliam & quidem illam rationem; quod principes seculares contra Ecclesiam dilationes tales concedere nequeant; sed falsissima est & ex erroneis Papicularum dogmatibus desumpta, ceu infra *thesi 32.* fusius edocebimus.

XXVII.

II. Fiscalia *l. 3. C. de precib. Imp. offer.* Quia maximè expedit Reipub. ut debita fiscalia quam citissimè exigantur *l. 3. C. de*

primi-

primipil. Novell. 17. c.7 §.1. Imò verisimile non est, principem voluisse debita sua includere, res quippè fiscales quasi propriæ & privatæ principis sunt *l. 2. §. 4. D. Ne quid in loc. pub.* Lucas Parmens. *in tract. de privil. fisci cas. 22.* Salycet. *in l 1. q. 6. C. qui bon. ced. poss.* Cuch. *de morat. præscript. n. 45. & seqq.* ubi opinionem hanc communi Dd. calculo receptam ait. P. Surd. *consil. 299 n. 9.* Rebuff. *de lit. dilat. art. 1. gl. 1. n.17.*

XXVIII.

III. Pupillaria. Naturalis enim æquitas suadet, pupillis & minoribus propter fragile & infirmum ejusmodi ætatum consilium esse subveniendum *l.1.D.de Minor. l. 2. in fin. D. de re judic.* Facit secundò quod Ecclesia fiscus & pupillus quoad concessa privilegia æquiparari soleant *c. 1. de in integr. restit.* Anton. Faber *d.tit.9.defin.20.n.1.* Boer. *decis.296. n.6.* Nicol. de Passerib. *d. tract. de script. privat. quæst.5.n.67.*

XXIX.

IV. Nova & recentia *arg. l. 2 D. de nundin.* puta, si de pretio rerum comestabilium in pleno, quod ajunt, foro mercatuque venditorum agatur Ant. Fab. *defin. 11. & defin. 20.n.10.* vel si ab advena & transeunte Mercatore emptum quid fuerit. Illudque propterea. (1) Ne exteri negotiatores & agricolæ (qui laboriosè civitates nutrire perhibentur) ad asportanda in urbem victualia, munitis hoc induciarum privilegio civibus sive emptoribus deterreantur; atque ita civitas ad victum necessariis destituta aut deficere aut annonâ premi incipiat Boer. *d.decis. 296. n. 6.* (2) Ne eo ipso delinquendi præbeatur occasio *arg. l.4.D.de pact.dotal.* In fraudem enim apertissimam creditoris à debitore se non solvendo sciente rescripta hujusmodi moratoria impetrarentur, Menoch. *de arb. jud. quæst. cas. 203. n 24. & 25.* (3) Ne iniquitas foveatur; Emptor siquidem talis retento pretio & rem haberet, quod bonæ fidei & pietatis rationi utplurimum adversatur *l.50. D.de act. empt. l. penul. C. ad SCtum Vellejan.* Rebuff. *de lit. dilat. art. 1. gloss. 1. n. 35.* ubi addit permittendum hoc casu extero mercatori ut merces suas vindicet, quasi nec alienatas *arg. l.21.§.1. D.de lib. legat.* Trentacinq. *alleg. resol.1. n. 17. & 18.*

XXX.

V. Futura, & post rescriptum conflata *arg. l. 28. §. 2. D. de liber. legat.* Quia de eo semper intelligitur privilegium de quo concessionis momento fuit cogitatum; actus quippè aliàs agentium, ultra eorum intentionem nihil operantur *l. 19. D. de reb. credit.* Guid. Papæ *decis. 113. n. 1 & decis. 109.* qui sententiam hanc stylo & observantiâ corroborari ibidem refert. Ant. Fab. *d. tit. 9. def. 1. n. 2. & def. 6. n. 4. def. 16. & defin 20. n. 2.*

XXXI.

VI. Jurata: Nam Princeps in dubio non intelligitur actui juramento vallato derogare velle *c. constitutus 19. Extr. de rescript.* Boer. *d. decis. 196. n. 5.* Matth. de Afflict. *decis. 5. n. 2.* ubi inquit, quod omnes ita Juristæ dicant. & sub *n. 3. in fin.* asserit, ita per sacrum consilium Neapolitanum ex voto consiliariorum omnium nemine discrepante fuisse judicatum. His subscribunt Ant Cuch. *d. tr. de morat. præscript. n. 54. & 62.* Roland. à Valle *cons. 31. n. 13. & seqq. vol. 2.* Eberhard. *in Topicis loc. à vi jurament. n. 31.* Ant. Tessaur. *d. decis. 186. n. 7.* ubi à Senatu Pedemontano sæpiusculè ita decisum subnectit Valent. Francus *de fidejuss. d. c. 3. n. 175.*

XXXII.

Efflorescit hinc spinosa admodum & anceps, anxieq; agitata quæstio. An juramentũ quo debitum obfirmatũ, si ab ejus nexu velit debitor liberari, solius Ecclesiæ, Pontificis, aliarumvè Personarum Ecclesiasticarũ dispensationi subjaceat? An verò & principes seculares vinculum juramenti dissolvendi potestatem habeant? Quamvis in acerrimo hoc Dd. dissidio major eorum reperiatur numerus, qui Pontificis lateri adhærent, testante Jasone *in l. ult. D. qui satisd. cogunt.* eos tamen rectius, qui relaxare jurisjurandi copulam Principem posse secularem adfirmant, sentire opinamur. Textus enim qui adsertionem hanc firmiter stabiliunt, luce meridianâ clariores habentur (1) *in l. 6. §. 4. D. de jur. patronat.* ubi Paulus JCtus inquit, lege Julia de maritandis ordinibus remittitur (malè vulgò legitur, permittitur; melius perimitur annotante ibidem Gothofredo) jusjurandum, quod liberto in hoc impositum erat, ne uxorem duceret, libertæ, ne nuberet. Quam legem glossa

vim

vim Apostolicam obtinere quoad juramenta remittenda dicit. (2) In *l. ult. in pr. D. ad Municip.* ubi JCtus Impp. Antoninum & verum rescripsisse ait, gratiam se facere ei jurisjurandi, qui juraverat ordini se non interfuturum; (3) Accedit ordinatio cameræ Imperialis *part. 2. tit. 24.* Von relaxation der Eyde / ubi Imperatoris & ordinum Imperii auctoritate adsessoribus à juramento absolvendi facultas ad effectum agendi conceditur, unde & (4) in Electoratu Saxoniæ relaxatio hæc vel absolutio ipsi Electori immediatè facienda, haut immeritò commissa est. *const. Elect. 36. part. 2.* Setzer *tract. de jurament. lib. 1. c. 24. n. 8. & seqq.* And. Gail. *lib. 1. observ. 1. n. 23.* Zang. *de Except. part. 2. c. 1. n. 427.* Arnisæus *de jur. Majest. c. 6. n. 8. & 9.* qui divortium à nobis facientes magno allegat cumulo. Aliter dissentit Tessaur. *d. decis. 186. n. 5.* Principem inquiens, secularem de consuetudine inducias adversus debita jurata permittere posse. At verò cum Principi hoc jure communi & vi potestatis suæ liceat, ceu jura superius adducta clarissimè evincunt; quid ei opus à consuetudine quidquam emendicare?

XXXIII.

VII. Nec ad ea quæ ex causa delicti descendunt. *Novell. 17. c. 3. §. 2. in fin. & c. 5. in prin.* Auth. Qua in provincia, ibi: omni privilegio cessante *C. ubi de crimin. agi oport.* Ratio. (1) Quia malè meritus publicè, ut ad deterrenda maleficia aliis exemplo sit, etiam egestate laborare debet *l. 31. in fin. D. depos. l. 6. in fin. D. de custod. reor. l. 1. in prin. C. ad l. Jul. repetundor.* Minimè enim admittendum ut sub prætextu concessi privilegii vel flagitiorum evanescat auctoritas, vel publica vacillet utilitas *l. 2. in fin. C. de privil. scholar. lib. 12.* (2) Quia debiti odium præsumptionem facit, Principem in rescripto illud suo comprehendere noluisse *arg. l. 37. §. 1. in fin. D. de Minor.* ubi JCtus eum leges non rectè, dicit invocare, qui contra eos committit. *l. 1. in fin.* ibi: *reatus excludit C. ubi Senat. & Clariss.* Atque ita concludunt Rebuff. *de liter. dilator. d. art. 1. gloss. 1. n. 17.* Menoch. *de arbitr. Judic. quæst. cas. 447. n. 17. & d. cas. 203. n. 16.* Tessaur. *d. decis. 182. n. 2.* Covaruv. *var. resolut. lib. 2. c. 1. n. 8.* Thomas Grammatic. *in addit. ad decis. 5.* Matthæi de Afflict. Osbald. Hillig. *d. lib. 22. Donell. Enucl. c. 9. L. H.* aliique complures.

XXXIV.

VIII. Dotis. Est enim causa ejus semper & ubique præcipua *l.1.ibiq; Dd. D. solut. matr.* Multumque in dilationis materia privilegiata, nullam quippè quovis prætextu retentionem sive respirationem admittit. *l.1 §.5. C. de rei uxor. act.* Anton. Gubert. Costan. *in tract. de dotib. cap ult. n.16.* P. Surd. *in d. tract. de aliment. tit. 8. priv. 7. n.2.* Hinc in ambiguis quoque pro dotibus respondere melius est *l.70.D.de jur.dot.l.80 D.de R.I.* & in judicando illam sententiam præferre, quæ doti favet, benignius, *l.9. §.1. D. de jur. dot. l. ult. C.ad SCtum Vellejan. l.12. C. qui put. in pignori* etiamsi unius tantùm sit Doctoris, ceu limitat Jason *in l. 1. n.71. D. solut. matr.* And. Rauchb. *quæst. jur. civil. & Saxon. quæst. 30. n. 29.*

XXXV.

IX. Alimentorum. Nam eorum favor omni præponderat causæ *l.6.D.de pignor.* instarque piæ causæ, alimentorum esse causam jura passim perhibent *l.14.vers.pietatis intuitu,* ubi Bartol. gloss. *& Dd. D. d. aliment. & cib.legat.* Novell. *131.c.13.vers.egentium pabula & alias pias causas &c.* Eberh. *loc. legal. ab aliment. ad pias caus.* Wesenb. *part.2. cons.80.n.7.* Imò alimentorum esse majorem favorem quam rerum usibus divinis inservientium liquidò patet ex *l.21.C.de SacroS. Eccles. Novell. 123. c. 27.* Unde quoties de alimentis suboriuntur lites, dilationes coarctandæ, *l.2.in fin. D. de re judic. l.2. D.de feriis;* ac summariè celerrimeq; decidendæ sunt *l.5.§.8.D.de agnosc. & alend. liber.* Martin. Coler. *de aliment. lib. 3. c. 1.* Johan. Baptist. Pontan. *de aliment.c.19.n.1.* propter ingens periculum quod in mora consistit. Quippè perquam difficile est verba ventri facere auribus carenti, Cato apud Plutarch. *in apopht.* & præcepta non audienti; sed poscenti & appellanti. Senec. *lib. 1. Epist. 21. in fin.* Atque, cum fames ultimum sit supplicium attestante Liv. *lib. 3.* & acutissimus ensis, annotante Baldo *in l.3.circ.fin.C.de Collation.* Idcircò alimentorum exactionem nulla vel æquitas vel miseratio retardare debet. P. Surd. *d. tit.8.de aliment. priv.70.& decis.323.*

XXXVI.

X. Locationis: *Auth. sed jam cautum C. depositi. Novell. 88. c. 2.* (1) Quia plerumque locatores ex ædium pensionibus victum

ctum sibi suisque & alimenta quaeritant. Cujac. *ad d. Novell. 88.* Alimentorum vero causam piam favorabilemque esse in proximè praecedenti thesi luculentè ostendimus. (2) Quia is qui impedit & obstaculo est, quo minus locatori inquilinus praefixo tempore mercedem solvat, certis poenis subjicitur. *d. Auth. sed jam cautum, vers. quibus poenis subjacet;* unde manifestè liquet domorum pensiones privilegio esse donatas. Boerius *d. decis. 296. n. 6.* Trentacinq. *d. resolut. n. 15.* Rebuff. *d. art. 1. gloss. 1. n. 21.* qui saepius ita judicatum ait; Cuch. *d. loc. n. 100.*

XXXVII.

XI. Depositi: Quia is, qui vel pecuniam vel res alias per depositionis titulum accepit, eas volenti ei, qui deposuit, illicò & quam celerrimè atque ocyssimè reddere compellitur. P. Surd. *d. decis. 323. n. 7.* Ant. Faber *d. defin. 20. n. 12.* Osbald. Hillig. *d. lib. 12. Donell. enucl. c. 9. l. M.* etiam ante tempus pacto fortè constitutum *l. 1. §. 45. & 46. D. deposit.* Oldendorp. *class. 4. act. 23.* Treutl. *vol. 1. disp. 26. thes. 5. l. c.*

XXXIIX.

XII. Ad instrumenta guarentigiata: in quibus creditori debitor, si in solvendo cunctatus fuerit, ex bonis suis, sine via judiciaria satisfaciendi sibi facultatem liberam concedit, Er soll wol befugt seyn / auch gute Macht haben / im Fall er im zahlen seumhafftig werden würde / sich durch eygene Gewalt in deß debitoris Güter zu mittiren und darauß bezahlt machen / unde paratam dicuntur habere executionem Treutl. *vol. 2. disp. 28. thes. 4. l. F.* Ratio (1) Beneficia enim quae à Principis proficiscuntur indulgentia plenissimè & largissimè interpretanda sunt *l. 3. D. de constit. princip. l. 2. C. de bon. vacant. cap. cum dilecti 6. Ext. de donat. c. olim 16. de Verb. signif. c. odia 15. de R. I. in sext.* Roland. à Valle *consil. 13. vol. 2.* Philipp. Matth. *de R. I. l. 12. n. 7.* (2) Quamvis instrumenta haec judicati habere vim intelliguntur, tamen ad privatam duntaxat creditorum, non etiam uti rerum judicatarum auctoritas, ad publicam spectant auctoritatem *l. 65. §. 2. D. ad S. C. tum Trebell.* Tessaur. *d. decis. 186. n. 7.* vers. *Nam si fuisset.* Ant. Faber *d. tit. 9. defin. 5.* Discedere nonnihil ab hac opinione videtur A. Knich. *in còm. de Sax. non provoc. jur. verb. Ducum c. 5. n. 463.* cui opitulatur Osbald. Hillig. *d. lib. 12. c. 9. l. L.*

XXXIX.

XIII. Ad mercenariorum & opificum debita, vel similium qui ex operarum suarum mercede se familiamque suam sustentant, quos vulgò Nostrates Taglöhner/ Liedlöhner vocitant. (1) Quia operarum præstitarum mercedem homuncionibus hisce omni sublatâ mora solvi debere, non jura tantùm sacri codicis Levit. *19.v.13.* Deuter. *24.v.14.15.* Tob. *4.v.15.* Matth. *10. v.10. 1.* Timoth. *5. v. 18. &c.* sed humanæ etiam leges justissimè præcipiunt, Landtrecht *lib.1. artic.12. post princip.* §. Von dem Erbe soll man erstlich ꝛc. *part. 1. Const. Elect. 28.* post principium vers. Daß von andern allen Schulden erstlich bezahlet werden sollen / das Liedlohn ꝛc. Hartman. Pistor. *lib.1. quæst. 8. n.1.* Köppen. *decis. 28. n. 13.* Wesenb. *in parat. D. de privil. cred. n. 5.* (2) Quia ejusmodi rescripta dilatoria in eos solùm, qui oneri morarum ferendo pares exsistunt; non etiam in illos, qui sub mole isthac protinus corruunt, exercenda. Videtur quippè jus horum magis everti quam differri, quod principem posse nullatenus credendum. *l.3.C. h. t. l. 35. C. de inoff. testam. c. suggestum 9. Ext. de decimis* utpotè qui Justitiæ asylum & legum custos est. *l. fin. C. de legib.* Matth. Stephan. *de jurisd. lib.2.p.1.c.1.m.2. n. 249.* Cothmann. *in comment. ad lib. 1. C. tit. 19. n. 24.* Mercenariorum autem continentur appellatione omnes illi, qui à debitore ad determinatum quoddam temporis spatium conducti, tecto ipsius & mensâ utuntur, ut sunt cujuscunq; generis famuli, qui à dominorum manibus esse consueverunt; Kauffgesellen / Haußknecht / Kutscher; item, Köchinnen / Hauß- vnd Viehemägde / vnd dergleichen.

XL.

Formam dilationum moratoriarum quod attinet, consistit illa in tempore; sive quinquennale sit, sive brevius, sive annale, prout Princeps illud ex re, secundum circumstantias personæ, loci, temporis & infortunii definiet. Quinquennales verò induciæ ferè frequentantur, unde utplurimum Quinquenel appellantur *l.fin.C.qui bon.ced.poss.* Reichsabschied *de Anno 1548.* §. Nach dem sie tit. von verdorbenen Kauffleuten *& de Anno 1577.* §. wann auch solche / in verbis, vnd wollen daß jhnen solche moratoria oder Quinquenel hinfüro nicht mehr gegeben werden sollen.

Tren-

Trentacinq. *var. resolut. lib. 3. resol.1. de solut.n.8.* ibi: *in practica observatur dilatio quinquennalis.* Cothmann. *ad lib. 1. C. d. tit. 19. n. 20. ibi, sententia hæc in judiciis recepta est.* Diss. Rebuff. *d.loc. n. 53. & 59.* Boer. *d.decis. 2.n. 3.* Ant. Faber *d.tit.9.def 6.n.2. & defin.21. n.5.& 6.* qui inducias non nisi majoris partis creditorum consensu principem concedere posse contendunt.

XLI.

An vero ultra dictum quinquennium concedi dilatio queat, sollicitè à plurimis quæritur? Negativam amplecti lubet propter textum disertum tàm in *d.l.ult. ibi: quinquennale spatium*; quam, in *constitut. Imp. de Anno 1548. & Anno 1577.* Cum enim (1) ejusmodi concessio sine creditoris præjudicio & detrimento fieri debeat *d.l.2.C.de precib. Imp. offer.* consequens est, solutionis dilationem ad modicum tempus, id est, quinquennale, esse restringendam *d.l.fin. C. qui bon. ced. poss.* Nam alioquin si tempus modicum excederet, gravius infligeret creditori damnum, quàm quod invitum eum subire æquum sit, Ant. Faber *d. tit. 9. defin. 17. num. 4.* ubi addit; si induciæ in longius quam quinquennii tempus concessæ sint, usque adeò non valere concessionem, ut nec pro ipso quinquennio defendatur. (2) Cum debitoris respectu dilatio hæc longa satis videatur ad conquirendas & explicandas pecunias indulta; Ideò prolongare istud minimè principis erit; Ejus quippè beneficium haut captiosum esse convenit, nec trahi ad alterius injuriam *l. 8. D. de Prætor. stipulati* facit & *l 7.in fin. & l.ult. D. de feriis*; nec non *l. 4. C.de Emancipat.* ubi Impp. Diocletian. & Maximin. rescribunt, in cujusquam injuriam beneficia tribuere moris sui non esse. Atque ita in terminis concludunt, Castrens. *in l. 2. C. de precib. Imp. offer.* August. Morlan. *in emperio jur. p.1. tit.8. q. 1.n.18.* Nicol. de Passerib. *d.q.5.n.3.& 4.* Moller. *lib.4.semestr.c.6. n.6. &c.*

XLII.

Sciscitanti verò & exigenti rationem, cur præcisè quinquennio præscriptiones dilatoriæ terminentur, ingenuè fateor, me ingenioli ala eò sublimitatis eniti & evolare neutiquam posse, ut causas hujus tàm abstrusæ rei deprehendam: Sed potius istud Sisyphi saxum criticis, queis grande ingenium est,

 naris-

narisque emunctior usus, volvendum relinquo, qui singula judicii trutinâ exactissimè ponderantes, sæpiusculè quare Pythagoras ex morosa quadam disciplinæ severitate, auditoribus suis non septennii, aut decennii, sed quinquennii vocis exsilium sive silentium teste Suida indixerit, & alia abdita atque latentia critico ungue notare adsolent. Sufficit, quod legumlatores satis moderatum justumque illud temporis quinquennalis spatium existimarint tam ex parte creditoris, cui ex eo non magnum infertur damnum *arg. l. 21. D. de judic.* quam debitoris, cujus respectu sat longum illud reputari tempus potest, siquidem in juris nostri volumine passim quinquennium multum dicitur temporis; *l.1.§.13.D.de separat. l.28 in princip.D.de pact. §.10. Inst. de Except.* ut & Constantino Imp. quadriennium *in l. 7. C.de repud.* magnum est tempus. Imò afficit, sacratissimos Nomothetas jus certum & finitum condidisse, inque tanta varietate extremum aliquod constituisse, in quo homines adquiescerent *arg l.2. D.de jur. & fact. ignor. l.1.§.3. vers. pueritiam D. de postul.* vid. Hering. *de fidejuss. d.c.5 .n.135.* P. Heig. *part. 1. quæst.16. n.14. 15. & seqq.*

XLIII.

Moveri hoc loco & illud non incommodè dubium potest; A quo die rescriptum moratorium currere incipiat, num à die concessionis sive rescripti; an verò à die præsentationis seu exhibitionis? Prius adfirmamus moti hac potissimùm ratione, quia in rescriptis ad gratiam emanatis aut beneficium concernentibus, dati tempus regulariter attenditur. *cap. eam te 7.Ext. de rescript.ibi: si data literarum diligentius attendisses,c.si eo tempore 9. de rescript. in 6. ibi: cum tempore datæ ipsarum &c.* Decian. *respons. 86. n.53. vol. 3.* Guid. Papæ *quæst. 109. n. 1.* ubi subdit,quod ita servet stylus cameræ Parlamenti, Trentacinq. *d. resol. 1. n. 27.* Quod eatenus tamen procedit, quatenus debitor legitimè impeditus non fuerit.Impedito enim dilationis tempus haud currit; maximè si ex adversarii facto, vel alia ex justa causa impedimentum proficiscatur *arg.l.2.§.3.& 6. D. si quis cautionib. l. 1. §.2. in fin. C.de annal. except.* Ant. Faber *d. tit 9.def.2.n.3.& seqq.*

XLIV.

Illud subtilioris est & utilioris indaginis quæsitum, quod aptissimè ni fallor, præcedenti subjungitur; Si durante primâ

dilatio-

dilatione à creditoribus fortè concessa, secunda à Principe ex æqua causa fuerit impetrata, à quo die cursus secundæ sit computandus? A die finitæ dilationis primæ putamus; Ratio (1) Quia si secunda Principis dilatio cum prima creditorum pariter concurreret, tùm quodammodo hæc posterior Principis redderetur elusoria: quod naturæ beneficii vehementissimè reluctatur *arg. l.3.D de const princip.* (2) Cumq; ex maximè diversis sint causis hæ dilationes ortæ, una ex pacto, altera ex privilegio singulari, intermiscendæ & confundendæ nequaquam sunt. (3) Accedit in argumentum *l. ult. C. de repud. & abst. hered.* ubi triennium quod abstensioni revocandæ datur ei, qui aliud à lege tempus habet, videlicet tempus minoris ætatis aut quadriennii, non currere incipit, nisi lapsis temporibus à lege concessis. Ad eundem modum dilatio à Principe indulta, ex creditorum conventione aliam habenti non labitur, nisi conventionali dilatione peremptâ. Diss. Cuchus *per l.4. § 5. D. de re judic.* loc. sæpius alleg. *n.105.106.109. & 110.*

XLV.

Ad formam quoque rescripti moratorii pertinet cautio idonea de solvendo à debitore præstanda. Nam cautionem hanc expressissimè textus exigit *in d. l. 4. C. h. t.* ubi Impp. Grat. Valent. & Theodosius universa rescripta quæ in debitorum causis super præstandis dilationibus promulgantur non aliter valere sanciunt, nisi fidejussio idonea super debiti solutione præbeatur. Matth de Afflictis *decis.378.n.1.* Cæsar. Ursil. *in addit.* ibidem *n.3.* Nicol de Passerib. *d.q.5. n.13. 14.* Hering. *de fidejuss. d. c.5.n.128. & seqq.* P. Faber *ad l.191. n.7. de R. I.* Ratio sanctionis hujus sing. illa potest, ne debitor bona quæ durantibus induciis adhuc salva supersunt, intermedio tempore luxuriosè absumat & dissipet, planeque sese subducat ac tergum dolosè creditoribus obvertat: Proin, præstare hanc fidejussionem recusanti dilationis beneficium rectissimè denegatur And. Gail. *lib. 2. observ.46. n.14.*

XLVI.

Haut opus tamen est, ut cautionem hanc fidejussoriam Princeps sive Imperator motu proprio exigat; sed à creditori-

bus, de quorum præjudicio agitur, petenda est. gloss. *in d.l 4. C. h.t.* per *l. 29. §. 1. D. solut. matr.* quam communiter Dd. sequuntur, P. Surdus *cons.124. n.2. & 3.* Matth. de Afflict. *decis. 378.* ibiq; Cæsar. Ursil. *in addit. n.3.* Menoch. *de adipisc. possess. remed. 2. n. 98.* Hering. *de fidejuss d.c.5.n.131. & seq.* Tritum enim istud est & notissimum, quod in omni materia, in qua Judex vel jure communi, vel ex forma statuti vel constitutionis facere quid potest, intelligendum hoc sit, si à parte requiratur *arg l.69.§.3.* ibi: quod si cautio non fuerit desiderata *D. de legat.2. l.2.§.1.* ibi: non ergò offerre debet satisdationem, sed petenti satis, moram non facere *D. quod legator. l.4. §. 8.* ubi Francisc. Ripa *n. 10. D. de damno inf. c. 1. de sentent. ex commun. in sext.* P. Surd. *decis. 57. n. 1.* Daniel Moller. *in comment. ad constit. Sax. Elect. Aug. part.1.c.19.n.4. & seqq.* Eberh. Speckhan. *quæst. jur. civil. cent. 2. class. 4. quæst. 8.*

XLVII.

Pullulascit hinc intricata admodum dubitatio, An debitor, si diligenti inquisitione factâ fidejussores invenire nequeat, ad cautionem juratoriam sit admittendus? Ajentibus suffragamur, Ratio (1) Quia, cum cautio exigitur, requiri talis videtur, qualis à debitore præstari potest gloss. *in cap. 23. ad verb. pro contumacia; de verb. signif.* Wesenb. *in parat. D. de his qui satisd. cogunt. n.10.* Nemo enim ad impossibile obligatur *l.185. D. de R. I. c. nemo potest. 6. de R.I. in sext.* (2) confert huc non parum vulgatissima juris regula, quâ præceptire; cautio juratoria deficientibus reliquis satisdationē generibus, locū habet; *arg.§ 2. Iust. de satisd. & l.1.§.2.C. de adsert. toll.* Jason latè in *l.1.n.22.&23.D. qui satisd. cogunt.* Cacher. *decis.70.n.1.* Hering. *de fidejuss.c.18.n.89.* Cludius *in tract. de sequest. cap.10.n.8.* Amplexantur sententiam hanc Carol. de Grass. *d. except.32.n.118. & seqq.* Nicol. de Passerib. *d.q.5.n.31. & seqq.* Roland. à Valle *d. cons.13. vol.2.* Ant. Faber *d. def. 21.n. 4.* ubi omni casu juratoriam sufficere cautionem ex Pragmaticorum Gallorum sententiâ tradit. Eam tamen adhibemus cautelam, si homo frugi, & integræ probæq; existimationis fuerit. Secus verò, si vel propter mores depravatos, vel fugæ suspicionem invenire fidejussores nequeat, in contrariam discedimus, *arg. l.7.§. fin. D. qui satisd. cogunt.* æquitate itidem naturali suadente & usu camerali

merali aliarumvè provinciarum adprobante. Joach. Mynsing. *cent.2.obs.11. Gail.lib.1. obs.148.n.6.*

XLVIII.

Suntque omnia hæc adeò vera, ut ne Principem quidem satisdationis onus remittere posse intrepidè adstruamus. Idque propter hasce rationes (1) Quia Principis rescriptum nemini captiosum esse aut damnosum debet *l.8.D.de Prætor.stipul.l.2.§.10. D. Ne quid in loc. publ.* Hâc vero remissione factâ, commodiorem aufugiendi & bona residua dissipandi ansam debitor nactus, non parum creditori incommodaret. vid. *thes.45. supra.* (2) Quia Principes in beneficiorum concessionibus sese semper ad juris concessionem accommodare adsolent; Theodor. Reinkingk *de regim. secul.& Eccles. lib.2. class.2.n.2.* Jure autem concessum est, ut creditor solvendi dilationem tribuens, cautelam à debitore competentem ad pecuniam solvendam exigere nunquam non possit. *l.21. D.de judiciis.* Atq; ita habent Nicol. de Passerib. *d.quæst.5.n.15 16.* Trentacinq. *d.resol.1.n.7. aliiq; complures*, quibus reclamat Jason *in d.l.4.in fin. C. de precib. Imp. offer.*

XLIX.

Hactenus objectum: finem nunc & effectum præscriptionum moratoriarum legitimo modo impetratarũ cursoriè contemplabimur. Ille autem est executionis impeditio & suspensio, ne vid. intra tempus in privilegio definitum quotidianis & molestissimis exactionibus tàm miserè excrucientur debitores. Hic est ne catenis induantur; nec arresto eorum facultates impediantur, sed ut de commoda interim solutione secum deliberandi,& debita quibus sibi alios obstrictos tenent vicissim exigendi, atq; ad pinguiorem redeundi fortunam intermedio tempore spatium habeant, de quibus in *d. l. 2.* ibiq; *Dd. C. h. t.* Valent. Francus *in tract. de fidejuss.d.c.3.n.150.* Petr. Gregor. *in Syntagm. Juris univers. lib. 22. cap. 7. n. 3.* Proin si pendente adhuc rescripti jure, ad creditorum delicatulorum preces importunas in vincula detrusus debitor fuerit, confestim eximendus erit; uti & bona arresto implicata, nec non pignori capta protinus restituenda, ne sub indulgentiæ specie debitori ærumnis & pauperie deformato clades importetur. Ant. Faber *d.tit 9 defin. 2. & 13.* P. Surd. *decis. 301. n. 7.*

L. His

L.

His ita præcognitis; ζητήματα quæ quodam quasi ex fonte inde dimanare & sedem suam ordinariam hic loci occupare videntur; strictim discutiemus.

I. An literis inducialibus impetratis, ut intermedio tempore sortis exactio suspenditur; ita usurarum cursus inhibeatur? N. Ratio (1) Quia princeps per rescriptum suum creditori non permittit vel sortis vel accessionis ablationem sed meram duntaxat dilationem *d.l.2. C. h. t.* Dilationis autem natura hæc est, ut actum executionis differat, non etiam ut jus obligationis diminuat. (2) Quia Principis beneficium dispendium sive noxam creditori in jure jam quæsito adferre haud debet *arg. d. l.8.D.de Prætor stipul.& d.l.4. C. de emancip. liber.* Vasquinus *controv. lib.4.c.1. n.8. & seqq.* Maximam verò adferret jacturam, si jus ipsi præsertim ex stipulatione quæsitum adimeret, statumq; obligationis pristinæ mutaret. Usurarum itaq; exactio in id differenda tempus, quo ipsa sors solvenda. Molinæus *de usuris q.82. n. 624. ibi: non indulgetur hujusmodi rescriptum debitori, ut aliquid lucretur, sed saltem ne damno adficiatur.* Faber *d.tit. 9. def.8.* Diss. Boerius *decis.296 n.5 circ. finem.* Hering *de fidejuss. c 22.n.39. & seqq.* Daniel Moller. *lib.4. semestr. c 7.n.3.* Cynus *ad d.l.2. C. h. t.* qui distinctionis fœdere hanc quæstionem profligare conatur.

LI.

II. An impediatur compensatio? N. Aliud enim petere est aliud retinere *l. 6. D. de compens.* Nec qui petere prohibitus, retinere prohibitus censetur *l 77 §.28.D.de legat.2.* Et licet miserabile satis sit, moratoriis ambagibus condemnationis spem excludi, si tamen causa, ex qua compensatur, liquida sit, rescripta hæc compensationi non erunt impedimento, *arg. l. ult. C.de compens.* compensatio quippè non dicitur propriè exceptio *l.15.* ubi gloss. Bartol. & alii *D. Rem rat. haber.* Petr. Surd. *decis. 291.n.9.* sed potius compensare idem est quod solvere *l.45. D. de cond. & demonst. l.45.D.de solution l.19.D.de liber. caus. l. 4. C. de compensat.* Guid. Papæ *quæst. 567. n. 1.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt.142. n.1.* Atque sic statuit Faber *d. def. 13.* ubi in Senatu Pedemontano taliter decisum attestatur.

LII.

LII.

III. An interrumpatur præscriptio? Aff. Ratio (1) quia agere non valenti, nunquam præscriptio currit. *l.1. §.2. C. de annal. except. c. Ex transmissa 10. Extr. de præscript.* Anton. de Gamma *decis.99. n.5.* cum odio tantùm res suas negligentium inducta sit & inventa *d.l.1.in fin.* ibi: *quis enim incusare eos poterit &c.C.de annal. except.* Francisc. Connan. *lib.3. comment. jur. civil.c.15.n.6. in fin.* (2) Quia quinquennii dilatio respectu petitionis evacuandæ non valet. *d.l.2.C.h.t.* P. Gregor. *in syntag. Jur.lib.22.c.7.n.3.*

LIII.

IV. An ad heredes moratoriæ privilegium porrigatur? N. Quia personale jus est, & impetrantis ossibus inhæret. Unde personam non transgreditur, sed cum ipsa interit. *l.1. §.fin. D. de constit. princip. §. 6. Inst. de Jur. N. G. & civil. l.68.l.196. D. de R. I. c. 7. eod. tit. in sext.* Suntque alias privilegia strictè & ita interpretanda, ne damnum præjudiciumvè tertio inde inferatur & accedat *d. l. 2. §.10. & 16. D. Ne quid in loc. pub. l.35. C. de inoff. testam.* Cacheran. *consil.42. n.42.* Francis. Zoanett. *de Roman. Imp. n. 260. & seqq.* Valent. Först. *de hered. quæ ab intest. def. lib. 6. c. 36. n. 14.* D. Theod. Reinkingk *de regim. secul. & Eccles. lib.2. class. 2. c. 8. n. 27. & seqq.* Quod tamen ita limitamus, nisi in der Begnadung/ ipsorum heredum expressa fuerit facta mentio: hoc enim casu eodem gaudeant privilegio; uti annotant. Trentacinq. *d.tit.de solut. res. 1. n. 29.* Nicol. de Passerib. *de privat. script. lib. 3.*

LIV.

An ad fidejussores? Aff. Quamvis non ratione privilegii directò & principaliter quoad propriam personam, cum, ut in thesi antecedenti diximus, privilegia stricti sint juris, nec personam egrediantur; Attamen respectu ipsorum debitorum & indirectò. Constat enim jure novissimo quod fidejussores conveniri prius non possint, quam excussis demum bonis rei principalis qui solvendo est vel esse creditor sive in partem sive in totum, *Authent. præsente C. de fidejuss. Auth. Hoc si debitor. C. de pign. & hypoth. Novell.4.c.1. & ibi* Cujacius, Guid. Papæ *quæst. 94. & 170.* Donell. *ad l.2. C. de fidejuss.* Ant. Gomez. *tom.2. var. resol. c. 13. n. 14.* Gail. *lib.2.obs.27. & 28.* Mynsing. *cent. 2. obs. 15.* Wesenbec. *part. 1. cons. 10.* Gœdd. *de contrah. stipul. c. 9. conclus. 5. n. 95.* Quam quidem

E. excuss-

excussionem adeò rigorosè extendunt Dd. ut ad ungulam usquè, sive saccum & peram fieri debeat. *Jason. in §. ult. n. 6. Inst. de act.* Hering *de fidejuss. c. 27. p. 1. n. 6.* Jam verò si fidejussores hoc induciarum beneficio non fruerentur, nullam sane rescripta moratoria vim & ἐνέργειαν haberent, sed per indirectum eluderentur: quandoquidem per indirectum fieret, quod per directum fieri prohiberetur Cynus *in d. l. 2. in fin.* Ipse namq; fidejussor eatenus se ad solutionem intelligitur obligasse, quatenus Principalis excussus, & non solvendo fuerit repertus. *d. auth. præsente C. de fidejuss.* Unde simul ac à creditore fidejussor de solutione compellatur principali suo litem denunciat; & ut solvat, ipsumque defendat, vel bona ipsius excutiantur à Judice postulat. Reus verò ad fidejussoris defensionem comparens dilationem sibi concessam opponit, quæ sanè intermedio tempore exactionem contra fidejussorem impediet; Unde in effectu fidejussori hoc beneficium competere satis clarè elucescit. Bald. & Cynus *in d. l. 2. C. de precib. Imp. offer.* Valent. Franc. *de fidejuss. c. 3. n 172. & seqq.* Rauchb. *p. 2. quæst. 7. n. 35.* Aliàs siquidem fidejussor conventus actionum molestiis debitorem prægravaret; atque hoc modo unâ viâ auferretur, quod alterâ debitori conceditur; quodq; pro utilitate ejus introductum salubriter esset, id duriori interpretatione contra commodum ipsius produceretur ad severitatem, quod nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur. *l. 24. D. de ll. l. 6. C. eod. l. 19. D. de instruct. vel instrum. leg l. 14. D. de adimend. legat. c. indultum 17. c. quod ob gratiam 61. de R. I. in sexto.*

LV.

Fallit tamen hæc assertio nostra quibusdam in casibus I. Si fidejussor se tanquam principalem, als ein selbst Schuldenerin instrumento obligavit, hisce verbis; Ich setze vnd verschreibe mich ohne einige Bedingung / zu einem selbst Schuldenern / darzu angelobe vnd verspreche ich / daß man schlechter Dinge auff mich vnd nicht auff den Hauptschuldigern durchauß sehen soll: hoc enim casu cessare beneficium excussionis Dd. commune est suffragium: Wesenb. *d. cons. 10 n. 18.* And. Fachin. *lib. 8. controv. c. 54.* Prolixè & eruditè A. Hering. in suo absolutissimo tractatu *de fidejuss. c. 27. n. 80. & seqq.* ubi non solum cameralia, sed etiam Academiarum variarum judicia refert. And. Gail. *d. lib. 2. obs.* 28. n. 6.

28. n. 6. ubi veriorem hanc & æquiorem esse sententiam autumat.

LVI.

II. Si fidejussor expresse & specialiter excussionis beneficio renunciaverit; quod jure ipsum facere posse nullum dubium est, cum quisq; hic, quæ pro se introducta sunt, renuntiandi licentiam habeat *l penul. C. de pact. 46. D. eod l. 51. C. de Episc. & cler. 6. c. de ll.* quippè tum provisio hominis facit cessare provisionem legis *d. l. fin. C. de pact.* ibiq; gloss. & Dd. Schurff. *cent. 1. cons. 22.* Wesenb. *part. 1. consil. 14. n. 13.* Concluduntq; ita Decius *cons. 37. n. 1.* Köppen *decis. 53. n. 2.* ubi specificam renuntiationem & juri magis consentire, & pro evitandis variis disputationibus atq; calumniis, nostris temporibus maximè consentaneam esse existimat, Wesenb. *d. cons. 10. n. 28.* ubi disentientes magno numero refert. Gœdd. *de contrah stipul. d. c. 9. n. 97.* Tiraquellus qui hanc tutiorem sententiam & humaniorem dicit *in præfat. l. 8. C. de revocand. donat. n 132.*

LVII.

III. Si principalis solvendo non fuerit. *arg. l. 6. D. de dolo mal. l. 24. D. mandat.* gloss. *in l. 116. & ibi* Bartol. *D. de verb. obligat.* Opitulatur & textus elegans in §. *final. Inst. de replic.* ubi Justinianus fidejussori exceptionem cessionis bonorum prodesse negat, cum qui pro debitore alios habet obligatos, id maximè videatur egisse, ut in eventum lapsi facultatibus debitoris suum nihilominus possit consequi. Gail. *lib. 2. observ. 27. n. 14.* Mynsing. *cent. 2. observ. 15. n. 2.* Matth. Coler. *de process. execut. p. 1. c. 10. n. 385.* Zang. *de except. d part. 2. c. 16. n. 15.* Ferd. Vasq. *controv. lib. 1. c. 33. n. 15.* ubi plures subnectit casus, quibus excussionis beneficium, ut uti fidejussores eo non possint, cessat.

LVIII.

Absolutis breviter iis, quæ ad induciarum quinquennalium à Principe indultarum naturam & indolem spectare videntur; Ea nunc quæ circa dilationes, quas creditores concedere debitoribus adsolent, observanda, penicillo rudiori obumbrabimus Cumq; conventiones sive pacta quibus creditores cum debitoribus æris alieni onere gravatis paciscendo crediti partem remittunt, affinia valdè sint moratoriis beneficiis, haut inconcinnum erit, de utrisque simul & conjunctim inpræsentiarum agere.

LIX.

Et quanquam uniuscujusq; pactum eò vires suas non exserat, ut regulariter vel prodesse aliis vel obesse queat *l. 17. §. 4. D. de pact. l. 73. §. fin. D. de R. I.* quippè cum sui juris alteri haud possit adquirere *l. 38. §. 17. D. de verb. oblig.* Olimque creditori de jure suo pacisci licitum fuerit, ita ut soli sibi non etiam aliis creditoribus pactum suum vel proficeret vel officeret. *l. 46. D. de pact. l. penul. C. eod.* Quid enim attinet, aliorum exspectare consensum quibus neq; commodare neq; incommodare alterius conventio debet *l. 27. §. 4. in fin. D. d. tit.* Postea tamen visum fuit D. Marco melius fore si provideretur, ut communi creditorum consensu res ageretur, *l. 7 § fin. D. de pact.* ne facilè aut debitor aut ex creditoribus quispiam deciperetur. Proinde si omnes consentiant, licet in unum non convenerint, sed seorsim suum quisq; suffragium addiderit, res expedita ac plana est *arg. l. 11. D. de serv. præd. rustic.* Bonavent. Strach. *de decoctor. p. 6. n. 9. vers sed si omnes &c.*

LX.

At vero quia perquam difficile est, qui sponte sua consentire nolunt, ad consentiendum cogere *l 84. §. fin. D. de legat. 1. l. 34. D. de usuf. l. 5. de liberal. caus.* idcirco ne creditores dissentientes invicem se impediant, Prætoris partes necessariæ sunt, qui decreto suo negotium dirimat *l. 7. §. ult. D. de pact. l. 58. §. 1. D. Mandat.* Octav. Simoncell. *de decret. in contract. minor. in præf. n. 112.* Jacob. Machellus *patrocin. forens. patr. 56. n. 4.* Adimens. *de cession. bon. quæst. 10.* hoc fine, ut consentientium voluntas & remissio dissentientibus officiat, & hi illorum sequi voluntatem, debitiq; partem remittere cogantur. *d. l. 58. §. 1. D. Mandat.*

LXI.

Prætoris autem decretum in duobus consistit, in causæ videlicet cognitione & decreti interpositione. Causæ cognitio partim circa debitoris personam, partim circa creditores versatur. In persona debitoris maximè considerandum, quod zonam perdiderit, & per inopiam solvendo non sit, *vid. supr. thes. 15.* Ad creditores quod attinet, quia cumprimis Prætor omnium & singulorum exquirere voluntatem debet; jure siquidem ita comparatum est, ut quod omnes similiter tangit ab omnibus comprobetur *l. ult. C. de auct. præstand. l. 8. l. 10. D. de aq. pluv.*

pluv. arcend. c. quod omnes de R. I. in sext. idcircò in unum conveniant necesse est, ceu Ulpianus ex mente D. Marci ait in *d.* §. *ult. & l. 10. in pr. D. de pact. d. l. 58.* §. *1. D. Mand.* Quid sit in unum convenire explicat pulcrè A. Faber *ad d.* §. *ult.* in rational. scilicet & in unum locum & in unam sententiam convenire.

LXII.

Emergit hinc per elegans quæsitum; An eo tempore quo dilatio moratoria per majorem creditorum partem conceditur, aut debiti quota remittitur, absentes legitimè à Prætore sint convocandi sive citandi? Aff. Semper enim illius requiritur citatio, de cujus agitur præjudicio *l.47.D.de re judic.l.39.D. de Adopt.* Paul. *lib.5. sentent. tit. 5.* præsertim cum eorum præsentia alios in aliam possit protrahere sententiam *l.17.*§.*fin. D.de recept. qui arbitr.* Strach. *d. n. 9. vers. item illud &c.* Bursat. *cons. 224. n. 18. vol.2.* Pruckman. *cons.17. n.105. vol.2.* & ibi allegati plures Dd. Adeò quidem, ut citatio per publicum proclama non sufficiat, sed si cogniti fuerint creditores & certi, nominatim sint convocandi, Pruck. *d. cons.17. n.106.* cujus citationis effectus peculiaris est, ut si qui emaneant, præsentes nihilominus perficere actum queant; & eorum ratihabitio subsecuta non prosit, nec ad majorem partem creditorum constituendam concurrat Clariss. Dn. Præses *in prælect. publ. ad d. l. 7. D. de pact.* quippe eorum contumacia pro præsentia habenda *l.29.* §.*fin. D. de Min. Auth. Qua in provincia. vers. sed si nec ipse C. ubi de crim. agi oport.*

LXIII.

Quod de illis tamen absentibus sive dissentientibus qui personalem duntaxat actionem habent, nec alio munimine adversus debitoris infortunium tuti sunt, intellectum volumus. Cæteroquin si vel pignoribus aut hypothecis aut etiam fidejussoribus sibi prospexerint, quia hoc potissimum egêre, ut adversus technas & sinistram debitoris fortunam magis securi essent, nec ullam crediti sui jacturam aliqua in parte paterentur, iis reliquorum creditorum consensus, qui haut æquè vigilarunt, quoad partem debiti remittendam nocere nequaquam debet; quippè nefas videtur, quæ ad majorem inducta sunt securitatem ea ad alicujus damnum & perniciem retorquere *l.6.C. de ll.* Strach. *d. part.6. n.13.* Simoncell. *de decret. d. praf. n. 113.*

 Vin-

Vincent. de Francis *decis. 82. n. 7.* P. August. Morl. *in emp. jur. part. 1. tit. 8 quæst. 1. n. 15.* Hering. *de fidejuss. part. 4. c. 27. n. 35.* P. Heig *ad d. §. ult. Inst. de replicat. n. 4.*

LXIV.

Quod verò dilationum quinquennalium à majori creditorum numero concessarum beneficium concernit, illud hypothecariis etiam obesse, edocet luculentissimè textus *in l. ult. C. qui bon. ced. poss.* Præterquam enim quod lex in hac facti specie secus quàm in illa constituerit, legisq; voluntas sufficere posset *l. 12. §. 1. D. qui & à quib. manumiss. liber. non fiunt*; illa quoq; differentiæ ratio dari potest; quod in quinquennalibus induciis creditum non diminuatur, sed ad exile duntaxat temporis interstitium differatur, adeòque de præjudicio extrinseco agatur: At in pactione partis debiti remittendæ de jactura & diminutione crediti, adeoque de intrinseco & magis nocivo præjudicio tractetur. *arg. d. §. ult. Inst. de replicat.* Matth. de Afflict. *decis. 288.* Prückman. *vol. 2. cons. 17. n. 110.*

LXV.

Cæterum cum Prætor in decreto interponendo voluntatem partis majoris ceu certam formam sequi debeat, *d. l. 7. §. fin. D. de pactis* inprimis erit in id inquirendum quænam major pars intelligenda sit? Eam autem Papinianus *in l. 8. D. eod.* & Justinianus *in l. fin. C. qui bonis ced. poss.* pro variis facti circumstantiis variè colligunt & interpretantur. I. Definiunt ex debiti pondere sive cumulo, quem alibi JCti quantitatem *in l. 11. D. de compensat. l. 3. §. 3. D. de contr. tutel. act. l. 47. §. 1. D. de jur. fisci. l. 65. D. de verb. oblig.* interdum summam *in l. 9. §. penul. & ult. D. de pact. l. 29. D. de verb. oblig. l. 22. l. 38. §. ult. D. de re judicat.* vocitant: ita ut si unus tantæ sit pecuniæ creditor, quantæ cæteri omnes simul juncti, hic solus partem majorem faciat, ejusve voluntatem Prætor sequi teneatur. A. Faber *d. tit. 9. def. 6.* Quod duriusculum quidem quoad verborum sonum, sed tamen faciet, quia crediti facit majorem partem, Idem *in ration. ad d. l. 8. D de pact.*

LXVI.

Exsurgit hinc non frivola quæstio, utrius voluntas sit præferenda, illiusnè cui plures summæ seu quantitates ex diversis causis & obligationibus puta centum aureorum debentur; an

verò

verò iſtius cui unâ ſummâ nonaginta? Prioris putamus. Ratio (1) Quia majorem haberi convenit rationem ejus, cui major debetur nummorum quantitas, ſiquidèm magis ipſius intereſt. Grandioris autem pecuniæ creditor & ille eſt, qui plures diverſasq; ſummas credidit. Tantam etenim jacturam ex ſummarum omnium diminutione paſſurus eſt, quantam ſentiat ſi unica ſit crediti ſumma (2) Quia cumulus propriè coacervatio eſt ſummarum multarum, quæ unius calculi coadunatio dicitur *in l. fin. §. 2. C. de jur. dotium* & conſummatio *l. 36. D. de ædil. edict. l. 3. C. de uſur. rei judic.* Conſultiſs. Dominus Præſes *in prælect. publ. ad d. l. 8. D. de pact.*

LXVII.

Succedit & alia ſubdubia variatio. Num Prætor debiti cumulo applicare uſuras ad majorem partem conſtituendam vel poſſit vel debeat? Aff. per textum *in l. 9. § fin. D. de pact.* ubi JCtus Paulus indifferenter uſuras ſummæ applicandas dicit. Uſurarum verò voce non tantum uſuras propriè ſic dictas intelligit, quæ jure civili certum modum certamq; habent quantitatem *l. fin. §. 1. C. de uſur.* ſed omnem utilitatem quæ circa rem eſt, & cuique abeſt; quam intereſſe nuncupamus, & determinatam in jure quantitatem non habet. *l. unic. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt prof.* Et quanquam ab uſuris longè ſit diverſum, quia tamen non minus in æſtimationem judicis venit officio *l. 21. §. 3. D. de act. empt.* ideò uſurarum ſubintrat vicem. Quod in Electoratu hoc Saxon. reſtrictionem patitur ex ordinatione provinciali *Anno 83.* Torgæ promulgata *ſub tit.* Von Wucherlichen contracten §. jedoch wann eines Schuldeners ꝛc. Daniel Moller. *lib. 1. ſemeſtr. c. 28.*

LXVIII.

II. Ex ampliori creditorum numero ſi in debiti quantitate pares reperiantur. III. Ex auctoritate & dignitate quorundam, ſi par ſit numerus, par quoq; ſingulorum & omnium debiti cumulus *d. l. 8. D. de pact.* Cæteris namque paribus plus ipſi debetur auctoritatis, qui plus habet dignitatis, id eſt, ut cum Tullio loquar, qui cultu, honore, & verecundia alios præcellit. Unde & in teſtimonio dicendo ſimiliter teſtium numerus prævalet; ſed in pari numero dignitas eorum & auctoritas

eſt

est spectanda *l.3.§.2.& l.21.§.3. D.de testib.* Prosp. Farinacius *quæst. 65. n.124.* Mynsing *cent.4. observat.38. n.2.* ita ut inter plures auctoritate & dignitate splendentes etiam ætate grandiori primas tribuamus *l. ult. D. de fid. instrument.* Andr. Tiraquell. *in præf. de jur. primogenit. n.127.* Hic judicii gradus à Justiniano *in l. fin. C. qui bon. ced. poss. omissus*, ex allegata *l.8.* in quæstione quinquennalis dilationis rectissimè suppletur. Clariss. Præs. *in d. prælect. publ. ad l.8. D. de pact.*

LXIX.

Colophonem disputationi nostræ imponat quæsitum non adeò extra dubietatis aleam positum. Si inter paris numeri creditores dissonas sententias foventes ab uno latere reperiatur cognatus debitoris, ab altero creditor dignitate præfulgens, utrum cognati voluntas præferenda, an illius qui dignitatis eminentiâ præstat? Hujus suffragio subscribendum censemus. Quia cognatus ob sanguinis copulam debitori favere, cum illo colludere, eique connivendo in cæterorum creditorum perniciem consentire vel in minimam posset partem. Haud reluctatur nobis *l. 16. D. de reb. jud. auct. possid.* Alia enim subest ratio, cur in edicto de rebus judicis auctoritate possidendis cognatio attendatur, videlicet ne bona distracta emptoribus extraneis addicantur, sed penes familiam & cognatos proximiores permaneant. Triste etenim valdè, ac lugubre est, videre paternas avitasque domos, & antiqua majorum prædia in extraneas transire manus *arg. l. 38. D. de rei vind. l.35. D. de minorib. l.22. vers. Nec vero domum C. de administ. tutor.* quæ ratio in hoc nostro casu penitus exspirat.

Hæc pro synoptica instituti ratione & tenuioris ingenii modulo de rarissima & intricatissima præscriptionum moratoriarum materia disseruisse hac vice sufficiat; Dabit ætas aliquando maturior meliora, si DEUS illam; cui sit laus honor & gloria interminis seculorum terminis.

FINIS.